



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Resp. Pœna propriè dicta est malum seu incommodum aliquod, naturæ vel voluntari contrarium, quod eo fine infligitur, ut culpa aliqua vindicetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

culpa intelligendo id omne quod culpabile est, siue ratione sui, siue ratione alterius, cuius est effectus.

Resp. ad 3. Peccatum habituale non esse à Deo secundum partem formalem; quia secundum partem formalem, est actus vel quasi actus humanus malus, & legi divinae contrarius: at posse esse & esse quasi efficienter à Deo ex affectu iustae vindictae, secundum partem materialem, quae praecise poena est, non quia est culpa, in bono aliquo sensu, seu non quia culpabilis est hoc respectu est à solo homine, à quo demeritorie ponitur.

Quaes. Quid sit reatus culpae & poenae, & in quo consistat? *R.* Reatum culpae in peccato mortali esse dignitatem ad odium, & reatum poenae esse dignitatem ad aeternum supplicium. Utraque autem haec dignitas est effectus, non effectivus, sed formalis peccati habitus, & quidem adaequatè sumpti; nam homo, postquam peccavit mortaliter, odio Dei & supplicio aeterno dignus est formaliter & immediate, quoadiu scilicet Deo non reconciliatur, tum quia graviter peccavit, tum quia graviter peccando se ipse demeritorie spoliavit ornatu, nitore & pulchritudine debita. Unde peccatum habituale se ipso formaliter & immediate est dignitas ad odium & poenam aeternam, & secundum actum peccati physice praeteriti, moraliter permanentem, & secundum privationem gratiae sanctificantis, non quidem praecise sumptam, sed ut demeritorie causatam à peccatore per actum peccati: unde per illam non intenditur, sed solum expenditur reatus culpae & poenae.

ARTICULUS II.

Quid sit poena proprio dicta.

RESPONSIO

Poenā, proprie dictā, est malum seu incommodum aliquod, naturae vel voluntati contrarium, quod eo sine infligitur, ut culpa aliqua vindicetur. Ita S. Thomas hic qu. 46. art. 6. ad 2.

Prob. Auctoritate S. Thomae loc. cit. *Est autem, inquit, de ratione poenae, quod sit contraria voluntati, & quod sit afflictiva, & quod pro aliqua culpa inferatur.* Tres igitur conditiones ad poenam proprie dictam requiruntur. Prima est, quod poena debeat esse aliquod malum seu incommodum. Ratio est, quia poena proprie dicta est aliquid afflictivum. At quidquid afflictivum est, malum dicitur. Ergo, &c. Duplex autem malum distingui potest & debet; malum culpae, & malum poenae. Malum culpae est malum simpliciter, unde non potest esse à Deo. Malum poenae est tantum malum secundum quid, & relatè ad patientem; nam relatè ad punientem, bonum est, quia punire est actus virtutis, nempe iustitiae vindicativae. Unde malum poenae potest à Deo esse.

Secunda conditio est, quod poena debeat esse contraria naturae vel voluntati. Ratio est, quia poena, proprie dicta, malum est relatè ad patientem. At talis esse non potest, nisi sit contraria naturae vel voluntati patientis. Dico autem, naturae vel voluntati patientis: nam si quis sua sponte patiat poenam aliquam pro peccato à se commissio, tunc poena non est contraria voluntati: superest ergo ut sit contraria naturae, seu naturali inclinationi, si vera poena est. Si enim quod sponte suscipitur ad expiandum peccatum, non est aliquo modo naturae contrarium, non est malum & incommodum, quod tamen est de ratione poenae.

Potest, ut poena censeatur esse voluntati contraria, necesse non est ut ei voluntas actu repugnet, sed talem esse sufficit, ut voluntas ei repugnaret, si rectè estimaretur & perpenderetur. Hinc privatio gratiae sanctificantis est gravissima poena, etiam relatè ad peccatores illos, qui gratiam Dei contemnunt; quia si eam rectè perpenderent, iacturam illius impatientissimè ferrent.

Tertia conditio est, quod poena debeat esse malum seu incommodum, quod ad vindicandam culpam aliquam infligitur. Unde proprie dicta poena supplicium vocatur, juxta illud S. Augustini lib. 1. retract. cap. 9. *Omnis poena (proprie dicta) si iusta est, peccati poena est, & supplicium nominatur.*

Quaes. Utrum aliquis aliquando puniatur pro peccato alterius? *Nota.* Poena proprie triplex distingui potest, nempe poena simpliciter, seu poena, quae pure poena est; poena satisfactoria, quae peccatum commissum expiatur; & poena medicinalis, quae non solum ordinatur ad vindicandam culpam, sed etiam ad bonum aliquod patienti procurandum. Hoc posito,

Resp. 1. Posse aliquem sine sua culpa puniri pro peccato alterius. Patet in Christo, qui omnis culpae expers, pro peccatis nostris satisfecit, gravissimas poenas subeundo. Patet etiam in iustis, qui per poenas, quas voluntarie subeunt, pro animabus in purgatorio existentibus satisfaciunt. Porro quamvis Christus non solum luerit poenas peccatis nostris debitas, sed etiam ad luendas illas se ipse obligavit; dici tamen non potest fuisse reus poenae, quia ille solus reus poenae dicitur, qui obligatur ad subeundam poenam pro peccatis à se commissis. Quod facile intelligitur ex dictis Art. praecedenti.

Resp. 2. Posse aliquem pro peccato alterius puniri etiam poena medicinali in temporalibus. Nam, ut patet v. g. ex morte parvuli, qui Davidi ex adulterio natus erat, quandoque filii ob peccata parentum rapiuntur immatura morte. Eiusmodi autem mors poena est respectu parentum, quos Deus per illam ob peccata intendit punire; medicina verò praeservativa respectu parvulorum, quos Deus per immaturam mortem, incerto tentationum, & alius huius vitae periculis intendit subtrahere. Unde tunc non tam filii puniuntur, quam in filiis parentes; quia immatura mors, ex tali intentione procurata, respectu filiorum non poena, sed gratia dicenda est; quanquam praecise, ut mors, etiam respectu illorum sit poena, propter originale peccatum inficta.

Resp. 3. Neminem propter peccatum alterius puniri poena pure vindicativa, nisi etiam ipse reus sit culpae, cui poena illa iuste possit infligi. Patet ex Script. Nam dicitur Ezech. cap. 18. *Anima quae peccaverit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris.* Et Hier. c. 31. *Unusquisque in iniquitate sua morietur.* Et Gal. c. 6. *Unusquisque onus suum portabit.* Cum ergo Deus dicit Exodi cap. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem,* loquitur de filiis, qui peccata parentum suorum imitantur, ob quae tamen Deus eos certis poenis temporalibus non punivisset, nisi parentes eorum prius peccassent. Sic lib. 2. Reg. cap. 14. dicitur perisse multa millia de plebe propter peccatum Davidis, non quia propriis peccatis carebant, sed quia nisi peccatum Davidis ad eorum peccata accessisset, ob illa nondum fuissent puniti.

Quaes. Utrum unum peccatum possit esse, & quandoque sit poena alterius? *R.* Affirmative. Hoc enim expresse docet Apostolus Rom. cap. 1. ubi de Gentilibus sapientibus sic loquitur: *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium, Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, &c.* In quae Apostoli verba haec habet S. Augustinus lib. 5. contra Julian. cap. 3. *Et hic utique vides causam, propter quam traditi sunt, sine ulla ambiguitate monstratam. Dixit quippe quid mali ante fecissent, & adjunxit: Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum. Proinde praecedens est haec poena peccati, & tamen etiam ipsa peccatum, quod verbis consequentibus explicat.*

Potest unum peccatum poena est alterius peccati, non eo sensu quod propter peccatum praecedens Deus velit peccatorem in aliud incidere, ipsumque ad illud impellere vel incitare; sed eo sensu quod propter praecedens

cedens peccatum, quo deseritur, peccatorem deserat per subtractionem auxiliorum illorum specialium, quibus antea adjuvabat hominem, & sic deserendo permittat in alia & graviora peccata incidere. Homo enim auxilium illis destitutus, gravius tentatur, majoribus passionum æstibus concutitur, effrenem magis concupiscentiam experitur, ad spiritualia minus ac minus, ad sensibilia verò magis ac magis afficitur, sicque sensum in plura & graviora peccata labitur. Ita docet S. Augustinus loco citato, ubi sic ait: *Cum ergo dicitur homo tradi desiderijs suis, inde fit reus, quia desertus à Deo, cedit eis atque consentit, vincitur, capitur, trahitur, possidetur: à quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est: & sic ei peccatum consequens præcedentis pœna peccati.*

ARTICULUS III.

Utrum peccata mortalia, non remissa, puniantur pœna æterna; vel, quod idem est, utrum pœna damnatorum sine æterna.

NOta. Unicuique peccato mortali duplex responderet pœna: una damni, quæ consistit in carentia visionis beatificæ, seu in exclusione à regno Cælorum, juxta illud 1. Corinth. cap. 6. *Iniqui regnum Dei non possidebunt*; altera verò sensus, quæ consistit in dolore, quem infligit ignis infernalis, juxta illud Matth. cap. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum*. Utriusque pœnæ hanc rationem reddit S. Thomas hic qu. 87. art. 4. in O. quia peccatum mortale est averſio à Deo, & conversio ad creaturam. Sub primo respectu meretur pœnam damni, quia æquum est, ut qui se sponte averſit à Deo, nunquam in ejus conspectum admittatur. Sub secundo respectu meretur pœnam sensus, quia æquum est, ut qui inordinatè convertit se ad creaturam cum gravi injuria creatoris, patiatur aliquid à creatura. Sed quaeritur utrum hanc utramque pœnam damnati in æternum passuri sint? Negavit Origenes, ut refert S. Augustinus in lib. de hæresibus, hæref. 43. & alij referunt apud Petavium lib. 3. de Angelis cap. 6. & ex ejus scriptis probat idem Author. Origenes igitur plus æquo Platonis doctrinæ adductus, docuit pœnas damnatorum non fore æternas; sed demones & homines reprobos, post varia tormentorum genera, tandem liberatum iri. Origenis errorem hunc amplexi sunt Sociniani. Sed contra illos sit

RESPONSIO.

Pœnæ damnatorum in æternum duraturæ sunt. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura tum veteri, tum nova. Nam dicitur Isaia cap. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Et c. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Matth. c. 3. *Palcas autem comburet igni inextinguibilis.* Et c. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. 2. Thess. c. 1. *Qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi.... pœnas dabunt in interitu æternas.* Apocal. cap. 14. *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* Nec juvat advertatios, quòd dicunt æternitatem in Scripturis sæpè sumi tantum pro longissima aliqua duratione: nam sumitur etiam pro duratione finem nunquam habitura; & in hoc sensu sumi, cum de pœnæ damnatorum duratione agitur, non solum docet Traditio, sed etiam ipsa Scriptura, ubi dicitur: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* *Palcas autem comburet igni inextinguibili.* *Fumus tormentorum ascendet in sæcula sæculorum.*

Prob. 2. Ex CC. Nam 1. ut refert Nicephorus Callisti lib. 17. cap. 27. & 28. Origenes à quinta Synodo damnatus fuit, quòd diceret, omnium impiorum hominum, ipsorumque etiam demonum tormenta finem

habitura, atque impios & demones in priorem suum statum restitutum iri. Præterea Christum oportere pro demonibus crucifigi, & idipsum sapius per futura sæcula à spiritibus nequitiæ, qui sunt in coelestibus. 2. Cap. Firmiter Concilii Later. IV. legitur, reprobos pœnam perpetuam recepturos esse cum Diabolo. 3. Conc. Trident. sess. 6. can. 25. & sess. 14. can. 5. vocat æternas pœnas damnatorum. Concilia autem æternitatem pro longissima tantum duratione accipere, & ita vocem illam in significatione tantum impropria sumere, dici non potest sine perverſacia.

Prob. 3. Ex unanimi Patrum consensu. Pro omnibus hic sint, Justinus apologia 2. mihi, pag. 29. *Injustos in perpetuo sensu una cum malis genijs in ignem mittit sempiternum.* Irenæus lib. 4. adversus hæreses cap. 47. *Pœna eorum, qui non credunt verbo Dei, & contemnunt ejus adventum, & convertuntur retrorsum, adimplata est, non solum temporalis, sed & æterna facta.* Tertullianus apologeticus cap. 45. *Nos qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique æternam ab eo pœnam providemus, merito soli innocentia occurrimus.* Lactantius lib. 7. cap. 26. *Eodem tempore fiet secunda illa & publica omnium resurrectio, in qua excitabuntur injusti ad cruciatus sempiternos.* Chrysostomus hom. 9. in 1. ad Cor. *Non est hæc parva, quæ proponitur, questio... an finem habeat ignis gehennæ? Nam quòd non habeat, Christus pronuntiavit, dicens: Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non desinet.* Augustinus lib. 21. de Civ. Dei cap. 9. *Quòd de sempiterno supplicio damnatorum per suum Prophetam Deus dixit, fiet omnino, fiet, vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Leo Magnus ser. 4. de Collectis c. 3. *Quis istam sortem æternorum cruciatuum non paveſcat? quis mala nunquam finienda non timeat? Et Fulgentius lib. 2. de remiss. peccatorum cap. 13. *Permanebit cruciamentorum perennis sensus in mortuis, ubi miseris mori non conceditur in pœnis.... Per hoc semper cum corpore suo morietur anima, cum quo sine fine cogetur æterna communicare tormenta.**

Prob. 4. Ratione. Quia peccatum mortale, cum sit gravis offensa contra personam infinitæ simplicitatis excellentiæ, imperfectè licet & inadæquatè cognitam, habet malitiam superioris ordinis ad malitiam gravium offensarum contra creaturas majorum & majorum in infinitum. Ergo quantum est ex se, meretur pœnam superioris ordinis ad pœnam, debitam gravibus offensis contra creaturas majoribus & majoribus in infinitum. Atqui talis pœna non potest esse nisi pœna acerbissima & æterna. Ergo peccatum mortale quodlibet, quantum est ex se, meretur pœnam acerbissimam & æternam. Ergo Deus pro supremo suo in creaturas suas dominio potuit justè prohibere omnia peccata mortalia sub pœna acerbissima & æterna. Sub tali autem pœna re ipsa prohibere omnia peccata mortalia satis superque constat ex Scriptura & Traditione.

Obj. 1. Ex Scriptura Deus est summè clemens & misericors. Atqui talis non esset, si peccatum mortale æterna pœna puniret. Item ipsius misericordia superat ejus justiciam, juxta illud Psalm. 144. *Miserationes ejus super omnia opera ejus.* Atqui justitia ejus major est, quàm misericordia, si punit in æternum peccatores. Item Psalm. 102. dicitur: *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur.* Item de impijs ait Isaia cap. 24. *Congregabuntur... in lacum, & claudentur ibi in carcere, & post multos dies visitabuntur.* Item Marci cap. 12. dicitur de Pharisaïs: *Accipient prolixius judicium.* Ergo pœnæ damnatorum non sunt æquales in duratione. Item Apocal. cap. 20. dicitur: *Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem.* Atqui hæc secunda mors non potest esse, nisi impiorum annihilatio. Ergo tandem aliquando annihilabuntur, ac proinde non cruciabuntur in æternum.

R. ad 1. Deum esse misericordem & justum, ita tamen,